ODA PANEGYRICA
DE REGIAE STIRPIS

ILLVSTRISSIMA
GENTE ET FAMILIA SAXONICA RERVM NVNC POTIENTE AVGVstis honorum T T. PRINCIPVM IMPERII ELECTORVM Ducum Saxon. Landgrauiorum Thuringiæ, Marchionum Misniæ &c.



SCRIPTA AD

ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM D. AVGVSTVM DVCEM SAXONIAE, CREANDIS IMPERATOR. ROMAN. VIIRVM. &c.

A SIGHARDO SAXO. REGE INCLITAE STIRPIS CONDITORE VIGESIMVM QVARTVM.

AVCTORE ANDREA ELLINGERO.

IENAE
Impressum per Donatum Richtzenhan.
Anno LXXIIII.

AD ILLVSTRISS. IVXTA AC POTENTISSIMVM PRIN- CIP. SAXON. ELECTOREM DVC AVGVSTVM.

P. P.

EPIGRAMMA ANDRE. ELLINGERI.

MAgne parens patriæ custosq; sacri Quiritiumq;
Lux imperij præfulgidumq; sidus
Vindice relligio quo uera suum decus tuetur
Pax rura nutrit alma faustitasq;,
Ingenuis & honos constat suus artibus, boniq;
Culpam premunt mores pudorq; lexq;
Hoc memini princeps fortissime Saxonum tuæ me
Excelsitati dedicare carmen
Tempore quo ripa digressus ab elegante Elistri
Rus uisi & agrum limitis Thuringi
χρύσεα χαλκείων quod dicitur, inclito probarem
Cliens vt addictus tibi patrono
Gratum animũ ac memorem cuius mihi contigisset aura
Benignitatis, publicæ institutum
Prosequi iter doctrinæ, Asclepiadum scientiæq;
Inter professores locum tueri
Sed studium edendi fregit pudor, arida negantis
Sat expolitum pumice hunc libellum
Esse, virûm vultus vt lumine posset irretorto
Aciemq; sustinere iudicantum.
Nunc data prælorum quando mihi copia exprimendum
Curaui, opinor, alite haud sinistra
Quẽ precor agnoscas AVGVSTE manu asserasq; victor
Postliminio velut redire iusum

Miſerat AVGVSTO puris Maro verſibus ſonantem
Ad fiſtulæ modos Theocritææ
Tityron egregij iuuenis merita, indolemq; fauſtam:
Nec præpotenti ſenſerat Monarchæ
Se facere ingratum: unde Aeneida maximum æmulatus
Graiûm poëtam, maximus futurus
Ipſe latinorum inſtituitq; opus & laborioſus
Exegit ingens Romuliq; regnum
Iuliados famam gentisq; decusq; ſacra & vrbis
Ritusq; cantu conſecrans latino
Innumerabilibus florere dedit Poëta ſeclis
Ipſumq; Muſæo lepore ſpargens
AVGVSTVM fato eripuit bene Muſicis fauentem
Viris & eruditione claris.
Ruderibus nunc ſtrata ſuis iacet alta Roma & æuo
Detrita maieſtas honosq; regni
Romulidum uiuit tamen & Maro & ipſa cum Marone
Octauiana laus viget vigebitq;
Ingenio pulcrè ſata principis omnium poëtæ
Nec interibit, luce donec æther
Candidus aurata ſublimibus ambitum vniuerſi
Anfractibus gyrisq; continebit.
Cuncta adeò fatorum obnoxia legibus feruntur
In omne virtus ſola durat æuum
Firma, nouem lympha permeſside quam rigant ſorores
Illuſtrem odorata linuntq; cedro
Ferrea ſint quamuis hæc ſecula nec ſuos Marones
Muſis ferant iniqua litteriſq;
Te tamen AVGVSTO te principe non amica deerunt
Muſisq; litteriſq; corda, vates

Sint

Sint modo Mincigenæ mox nostra etiam suos habebunt
Octauios piosq; secla Marcos.
Quale igitur cunq; est quod scribimus inter erudita
Nec dignum haberi, & crassiore filo,
Quæ tua mansuetudo Heroica amor tuusq; in omnes
Doctrinæ amantes elegantioris
Excipe diuino ingenio sapientiaq; princeps
Clemente vultu lucubrationum
Tenuiaq; orsa mearum ne abijce segnius volantem &
Flatu secundo promoue carinam

Ihenæ IDIB. MAII
A. M. D. LXXIIII.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO DOMI- NO AVGVSTO DVCI SAXO- NIAE SACRI ROMANI IMPERII

Electori & Archimarschallo, Land- grauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, & Burgrauio Magdeburgensi, Domino suo clementis- simo.

S. D.

Militiæ decus AVGVSTE armipotentis, & idem
Romani vindex nobilis imperij
Compressa illustrem qui seditione triumphum
Amphitrioniadæ more modoq; refers
Heroum hæc virtus, hac Theseus ignea quondam
Arte sibi dulcem strauit ad astra uiam
Accipe sed tenuem Musis formantibus orsum
Principe de gentis nobilitate tuæ
Non ignota cano: quis enim Vitikindea Magnum
Regia Saxonicæ nescit & arma domus
Arma ter vndenos prope quæ sudantia in annos
Lilia presserunt Carole France tua,
Victor abit Francus, nam par est vincere caussam
Qui euentu in dubio, quur bene speret, habet

Accipe

Accipe nec lyricis quamuis Heroica ſperne
Non ita conueniat, geſta relata modis
Sed neq; perpetuo manant deducta tenore
Quæ ſtudet hiſtorico piëris ore loqui
Libera in offenſo quà vult pede noſtra vagatur
Scriptio, diuerſis iuncta refertq; locis
Sic apis halantes dum florum demetit hortos
Mirificum dulci Nectare ſtipat opus
Non ego me ingenijs præſtantibus inſero vatum
Nec iuga Parnaſi in pectore celſa gero.
Cautus curua premo contractis litora velis
Dum pede me ipſe meo metior ac modulo:
Sed tamen exigui quantus mihi carminis vſus
Principibus patriæ ſeruiet omne meæ.
Tantaliden humero inſignem qui dicit eburno
Oenomaiq; axes Hippodamesq; thorum
Dicta refert alijs, fruiturq; labore priorum
Forſitan & nugæ quas meditatur erunt.
At quibus inuicti celebrantur Theutones, illis
Materies veri fonte petita ſubeſt,
Nuſquam ea fabellis lepidè diſtincta leguntur
Eſt contenta ſua ſimplicitaſq; fide
Verborum minor hic ſed rerum copia maior
Dixerim hoc altiſona teſte vel Italia
Quæ minimas res quaſq; ſuorum extollere ſollers
Eloquio magnum his conciliante decus
Eſſe etiam externo quod virtus laudet in hoſte
Germano in primis diſsimulare nequit
Non ego quæ Tacitus de nobis digna relatu
Auguſtæ Tacitus conditor hiſtoriæ

Commemorat, ſpernenda reor, præconia gentis
Quo locuplete magis teſte probare queam?
,, Quod doctrina alij, natura hoc Theutones, illis
,, Ingenium cultus dexteritate viget.
,, His ſua lex caſti ſine fraude & crimine mores
,, His peccare etiam lege tacente nefas.
Hellada ſi excutias totam cum Principe Roma
Geſtaſq; imperij res vtriuſq; legas
Quamuis emineant ſpecioſæ inſignia laudis
Non tibi nulla tamen diſplicitura reor
Seu ſcelera & fraudes proiecti & damna pudoris
Seu libertatis prodita iura notes
Auſa phare tratis concurrere Græcia Medis
In medio fixit clara tropæa mari,
Quanta Themiſtoclis tunc gloria, quo duce claſsis
Victa per Aegæas barbara fugit aquas.
Conſilij hoc ſpecimen ſapientis: cætera ſed quâm
Diſsimilis factus dicitur eſſe ſui.
Sed neq; Pauſaniæ poſtrema prioribus acta
Reſpondent, ſceleri ſed via ſtrata malo eſt.
Cum quæ vindicibus iampridem fregerat armis
In patriam inferret tela faceſq; ſuam
Pleraq; ſic vitiorum obſcænis illita næuis
Graiorum memorant hiſtoriæ veterum.
At non Germani tales, nil ſanctius illis
Nulla viget toto maior in orbe fides
Non Venus illicito gentem hanc vaga torquet amore
Nullis caſta domus polluiturq; ſtupris.
Eccui ſimplicis ille animi venerabilis horror
Integritas morum & lactea diſpliceat?

Quis

Quîs & fucus abest, candorq; adscitus & atro
Felle madens linguæ subdola blandicies
Quid metuis Germane ferox, præq; omnibus vnum
Ne forte eueniat gens animosa times?
Sic te magne ferunt Macedum Rex esse locutum
Delmata qua fines territat Aemathios
Hoc metuo Germanus ait: male fulta columnis
In nos ne cœli machina rupta cadat
Tristis Alexander responso, quippe putabat
Vnum se ante alios præcipue metui.
Imbelles metuant Indi te nate Philippo
Nostra reformidet sed tuus arma labor.
Carpta quidem sed non domita est Germania Regum
Mater, & algenti subdita terra polo.
Quàm sibi constructo trans Rhenum ponte placebat
Omnis cui prædæ Gallia, Cæsar erat,
At quàm se subitò rescisso in tuta recepit
Ponte, sub aduentum flaue Sueue tuum
Rhenus & Euphrates fatali limite regni
Clauserunt fines Martia Roma tui,
Hunc temerè illatis ausus conuellere signis
Exitio Crassus seq; suosq; dedit.
Illo pacatis veluti considere rebus
Varus amans turpi strage cruentus obijt.
Vsq; adeo gens hæc Romana exercuit arma
Libera & indocilis frena iugumq; pati.
Eluctata suo donec Germania fato
Principis imperij regia sceptra tulit,
Lataq; nunc retinet: quamuis fremat acer Iberus
Atq; indignentur Gallia & Italia.

Saxones egregij ſpirantes robur in armis
Vos non ex minima hæc gloria parte manet
Armis imperium partum eſt: defenditur armis
Rex fieri armorum vi ſine nemo poteſt.
Nec tamen hæc vis eſt: ſed fatis debita, cui vult
Diſtribuit Mundi regna Monarcha DEVS.
Quod ſi igitur laudes videor detexere veſtras
Carmina conſulite hæc qualiacunq; boni.
Tuq; AVGVSTE potens diuis natalibus orte
Ne ſperne Aönij munera parua gregis
Victriceſq; inter ſine & hanc tibi ſerpere lauros
Quæ capiti texta eſt parua corolla tuo,
Meq; per infidi luctantem marmoris æſtum
Præſidij quæſo ſubleuet aura tui.
Vna ſalus fractis tua munificentia rebus
Hac ego ſi potiar, nempe beatus ero:
Quemq; larem Muſæ te conſtituere patrono
Tu face præſidio floreat vſq; tuo.
Barbariem defende ſcholis: ſubit illa ſilenti
Regna per Aonidum nomine clara gradu
Neue indigna fames, ieiuniaq; aſpera vexent
Sacro deductas ex Helicone Deas
Mecenas prohibe, neq; enim non Regibus iſthæc
Principibusq; habita eſt gloria digna viris:
Sic tua per memores tranſſcribent nomina faſtos
Famaq; te dempto fine loquetur anus.

Lipſiæ KL. AVGV. Anno M. D.LXIX.

Illuſtriſs: Excelſitati veſtræ
Perpetua obſeruantiæ & debitæ
ſubiectionis voluntate Dedítiſsimus.

Andreas Ellingerus D.

DE REGIA STIRPE ILLVSTRISS. GENTIS AC FAMILIAE SAXONICAE RERVM NVNC POTIENTIS AVGVSTIS Honorum TT. Principum Imperij Romani Electorum, Ducum Saxo, Landgrauiorum Thuringiæ Marchionum Misniæ, &c.

ODA PANEGYRICA,

ANDREAE ELLINGERI.

STirpis Saxonicæ nuper vt inclitum
Expressum tabulis stemma fidelibus
Aspexi: subitus mî calor incidit
Quædam illi accinere: auctoribus & quibus
In lucem exierint res procul abditæ
Et quadam veluti nube silentij
Tectæ ostendere: cuiq; alite dextero
Iam nunc parturiens nobilis hic labor
Fœtus ingenij fingeret optimos
Libros egregiumq; historiarum opus.

Tu priſcas memora res mihi Theſſalos
Seu montes Clarij ſeu iuga Apollinis
Seceſſuſq; colis, Phocidos arduæ
Clio prima ſororum alma Aganippidum.
Tuq; ô pieri teſtudinis aureæ
Argutum moderans Melpomene ſonum
Plectro Diua precor ſubijce eburneo
Percuſſa numeros qui placeant fide:
Annales laceri rudera codicum
AEuo attrita iacebant quibus incliti
Heröes VITIKINDI genus, in ſitu,
Ducebant tenuem ac puluere Spiritum.
Quum tu docte Spalatine nigrantibus
Princeps è latebris eruis & bona
Illuſtriſsima aui nomina colligis
Ceu quaſſæ tabulas naufragio ratis.
Arridere bonis omnibus hic labor
Verſariq; manus inter opus tuum
Et iam luce frui Saxonicæ domus
Maiores ataui cum proauiſq; aui.
Res quorum auſpicijs publica Saxonum
Ritè effloruit & militiæ & domi
Terrarumq; ſtetit Principis imperij
Maieſtas decus atq; aurea dignitas.
Diuę mox ſeries longa propaginis
Inſtar ramificæ texitur arboris
Augeturq; locupletibus hic velut
Riuis hiſtoriæ nobilis alueus.
Brottufi neq; te tranſierim tuis
Commentariolis dulcè loquacibus

Qui

Qui nos instruis & materiam rudem
Decerptam vndique componere diceris.
Cui nec tergeminis splendida honoribus
Indicta Ascaniæ est nobilitas domus
Cognoscenda tuis stirps bona paginis
Per bis quinque ferè secula ducitur
Stirps qua non alia illustrior imperat
VRSINOS Latio quæ dedit & tuis
Olim sceptrigeros Marchia finibus
Terrisque ENSIFEROS Saxonicis Duces.
At nemo melius nemo disertius
Hæc dudum Ausonio prosequitur stilo
Victurisque notis consecrat auream
Augusta repetens stirpem ab origine.
Te quem Pindarici carminis alite
Regis facta canentem inclita cœlitum
Non Albis modo Rhenusque stupet pater
Ipsi verum etiam Sequani & Ausones.
Fabrici neque nescimus enim tuus
Quàm se iactet in hoc puluere Pegasus
Quantum industria desudet & ingenij
Felicesque operæ argutaque scriptio.
Tantum ne rapido vita volans gradu
Alto destituat te super æquore
Desint libera neue ocia, neu boni
Mecenatis egens dextera langueat.
Te perfecta nisi nulla superstite
Exibunt vigili parta labore, quæ
Concinnat studij cura operosior
Et frictu Aeolij pumicis expolit.

Nil ſaluo mihi te nil vacuo prius:
Sic tandem illa dies tandem aderit, nouo
Emergente velut ſidere cum rudis
Cedet barbaries, cedet inertia,
Blattiſq; ille putri & gratus araneæ
Squalor deſinet, & pura legentium
Stringet lux oculos macte peritia
Tali & mente Georgi Aônidum decus
Cuius terſa legens ſcripta vel æmulum
Te Bembi & Iouij dicere mens cupit.
Tu ſollerte animo ſcripta per omnia
Deducens calamum puriter explicas
Quæ veriſsima, quæq; optima deligis
Scriptorum omne genus peruolitans, ſed &
Longo obducta ſitu marmora luminis
Veſtigans acia, littera grandibus
Si qua inciſa notis hæreat, & genus
Virtutemq; docens compoſiti viri.
Sic dum præcipiti humana ruunt gradu
Tu fato eripis inſtanti ea, nec ſinis
Fæda obliuio tot funditus obterat
Dignas perpetua cognitione res.
Triſtes quin repetam nunc querimonias
Haud poſſum facere, indigna animo ſubit
Sors qua preſſa iacet gloria Theutonum
Alto gloria demerſa ſilentio.
Felices Italum ſanguine regio
Argiuumq; fati ſtirpe & Achæmenis,
Quorum vindicibus res loca factaq;
Commiſſa hiſtorijs perpetuum vigent
Te

Te Germania laudesq; tuas, tuum
Nomen debilitat, quid nisi agrestium
Scriptorum macies, tu nisi splendidæ
Iampridem historiæ nullius indiga es.
Salue terra potens Marte, potens viris
Bellantum genitrix alma Tuisconum
Quæ præstans grauitate, indole moribus
Promissiq; tenace egregia fide
Cunctis gentibus (vt vel medij crepent
Codri atq; ilia rumpantur vt inuidis)
Tantum lucis egena historicæ iaces
Nec Graiûm potis es gesta vel Italûm
Diuino æqui parare historiæ sono:
Quanq; æquè memoranda edita sint tibi
Aequè fortia, sed te immeritò premit
Neglectam rudis infantia seculi.
Hoc vnum doleo, hoc patria conqueror
Vincis cetera, sed vinceris vno in hoc
Nimirum tibi non res sed idoneus
Rerum scriptor abest cultus & elegans.
Qui si contigerit: desinet Itala
Se preferre tibi Græcaq; natio
Turgens immodicis vtraq; laudibus
Indignoq; vocans nomine barbaram.
Pollent eloquio Graius & Italus
Exultantq; stilo, & florida Rhetorum
Pigmenta historijs suauiter allinunt,
Lectori nebulam offundere callidi.
Hasta quam calamo ludere doctior
Nil Germanus habet Gorgonis illius

Cui palma hæc studij & gloria Musici
Acri militia nunq̧ habita est prior.
Rebus pulcer erat: res bene fortiter
Et cum laude gerebat, nihil ocium
Curans nil latebras, pulpita, circulos
Scęnam, ludicra plaususq̧ theatráq̧
Qui fractos quoties aut sonitus tubæ
Clangorem aut litui pulsaq̧ classica
Miles perciperet, læticia velut
Gestire & clipeos telaq̧ sumere
Defensura lares, & patriam, pedes
Seu mallet, volúcrem siue regens equum
Decertare: licet: grandiloquentia
Nos illi superent: res modo factáq̧
Nobis pulchra relinquant: Age Plinij
Nobis restituant historicos libros
Quîs bella expedijt, duraq̧ Romulæ
Gentis cum populo prelia Theutonum.
Quo defossa specu dena bis aureum
Corrumpuntur opus fortè volumina?
Quis casus tibi Germania sustulit
Thesaurum hunc precio non reuocabilem.
Inuento huic equidem non radiantia
Gemmis pocula non diuitis Indiæ
Merces, non Arabum Cinnama turaq̧
Distentasq̧ opibus prętulerim domos.
Nunc fati illa potens siue necessitas
Hausit, siue latent carcere quopiam
Inclusa Italiæ, quæ muliebriter
Tralati imperij damna gemens, nimis
Nostro-

Noſtrorum egregijs laudibus inuidet
Tot pugnata domi bella, tot & foris
Magnorumq́ operum exorſa pedeſtrium
Ipſo in veſtibulo ignota iacent: Bonis
Sudandum ingenijs propterea, quibus
Cordi lux patriæ, famaq́ Theutonum eſt
Vt quæ pauca eadem nec benè litteris
Conſignata dedit barbaries prior:
Hæc arte expoliant, his decus augeant,
Ne ſcabra velut ærugine lamina
Squalore intereant: neu magis ac magis
Putri exeſa ſitu ceu carie trabes
Depaſcente ruant: ſed mage lucidum
Fulgorem accipiant vera loquentibus
Detexta hiſtorijs, ſi qua etiam latent
In lucem pius eſt eruere hæc labor.
Nec mî diſpliceat vel tolerabilis
Scriptor, ſimplice cui candida veritas
Cultu arridet ouans: cui calamum regit
Luceiana fides neſcia gratiæ.
Scribendę caput eſt hiſtoriæ fides
Et lex prima: fidem tolle, ruent bonæ
Fundamenta rei protinus omnia,
Nec vitæ illa poteſt eſſe Magiſtra, nec
Veri nuncia, ceu Tullius eſſe vult.
Nugaces valeant hiſtoriæ nihil
Vitæ ac moribus hac peſte nocentius
Quamuis pulchra, fide ſi qua tamen caret.
Iucundo haud melior dictio dramate eſt
Vni Fabritio res ea cordi erit.

Vt confidimus & iam fuit estq; adhuc:
Iampridem ille ducum non sine gloria
Condit Saxonicorum historiam & genus.
Vsuram vacui temporis huic breuem
Pertexendo operi dum locat, omnia
Delibans monumenta, acris & horridas
Tanq; falce secans iudicij vepres.
Quin templorum etiam rudera & arcium
Perlustrare hominem non piguit, lapis
Si quis forte superstes miserabili
Insculptam excidio seruet imaginem.
Quanq; autem ingenij diuitis est labor
Magnas scribere res, lumen & addere
Scriptorum vicio luce carentibus
Heroumq; stilo texere imagines.
Quale est cunq; tamen quod dedit hactenus
Et porrò dabit industria diligens
Fastidire nefas, difficili in salo
Luctantis liquidum crassa vbi nubila
Interfusa oculis eripiunt diem.
Lectu digna canant vel mediocriter
Si quos frugiferæ stringit amor rei
Quæ spernant alij non nisi limpido
Sueti fonte leuare historicam sitim.
Si fragmenta priorum hispida mandere
Multa sustinui non sine nausea
Cur quæ sunt meliora & minus horrida
Censor despiciam durus & insolens.
Qui culti nimium delitiarum amans
Sermonis venerem suspicit Atticam
Actæis

Actæis licet ille erret in hortulis
Iucundisq; animum pascat odoribus.
Sin Romana libet discere Cæsaris
Diuina omnibus est mundicies prior,
Vbertasq; Titi lactea Liuij,
Et Crispi breuitas dia Salustij.
Sunt bella Herodoti sunt nitida omnia
Quid tũ Mæonidæ suaue & Homeri epos,
Graijs ingenium Pieris & loqui
Quiduis ore rotundo dedit efficax.
Nobis non ea vis non ea copia:
Pro nostris opibus mœnia condimus.
Si veri tamen & fonte cadant suosq;
Auctores habeant scriptaue dictaue
Germano, hoc satis est, cetera nil moror,
Nam quæ nixa sua simplicitas fide est
Verborum phaleras odit & ambitus
Odit grandisoni luxuriem stili.
Simplex conuenit oratio simplici
Et forti populo, degener à quibus
Longè fucus abest, flammeus & nitor
Sermonisq; Venus Dædala lubrici.
Hac spe quicquid id est horrida parturit
Quod Germania propono mihi & fruor
Quamuis illepidis textibus & parum
Lotis castalio fonte libellulis.
Indignante satur nec stomacho rudis
Auersor calami bammata, quamlibet
Admirator opum Thucididæ grauis
Arguti & Xenophontis sapientiæ.

At tu perge bonis optime Fabrici
Vt cæpisti auibus, per vada & inuia
Duc remum,& cineri suppositos premens
Ignes difficili flecte iter orbita
I virtus tua quò te vocat, i pede
Fausto multiplicis grandia pręmia
Laturus meriti, dante ea principe
Mecenate, bonis dantibus omnibus.
En perfecta tibi dudum operis tui
Lucem pars potior flagitat, his age
Ne lucem inuideas: Dulcibus hæc quidem
Spes nos illecebris lactat, at in uicem
Mox illa ancipiti conglaciat metu,
Dum blandis veluti solibus hæc tua
Pridem excocta seges perpetuum latet
In sulco viridante herbula ceu recens,
Nec distenta gemunt horrea plaustraq;
Nec tunsis grauiter frugibus area.
Iam tempus Fabrici flaua recidere
Et dudum stipulis farra sonantibus,
Maturæ segeti non benè parcitur
Nam neglecta nouo germine pullulat.
Nos glande interea vescimur, & pij
Pagellas acie contuimur senis,
Et quodcunq; placet sumimus in fauos
Mellitæ historiæ: Quippe aueo bonas
Res cognoscere, in hasq; effigies Ducum
Heroumq; oculos oraq; vertere.
Gens Heröe sati clara TVISCONE
Fortes Saxones & Tyrigetæ boni

Huc

Huc aduertite mentem, aſpicite ordine
Veſtrorum genus & nomina principum.
Nam quæ barbaries quod ſcelus aut furor
Hæc contemnere? quin diſcite poſteri
Quæ gens quis patriæ ciuis an exterus
Clauum temperet: Atqui hiſtoriæ probant
Alto à ſanguine deſcendere Theutonum
Tot voluenda Duces ſecla per inclitos
Parere indigenis indigenaſq; nos
O pulcrum imperium, ò ſceptra perennia.
Perſidas habuit Græcia principes
Pulcrum Sparta tibi regium ab Hercule
Deſcendiſſe genus: Nos quoq; Theutonas
Lætemur patrijs imperitare agris.
Qua gente haud alia in litore cimbrico
Priſco nobilis à Gomere & Aſcane
Regnauit prior aut fortior imperij
Robur debilitans armaq; maximi.
Non fruſtra armipotens Roma perhorruit
Cimbros ingenuo Marte laceſſere
Conciſus validis cum legionibus
Conſul Cæpio te cautius aggredi
Infeſtas acies belligerûm MARI
Cimbrorum docuit, iunctaq; Theutonum
Arma: Ac forte minor gloria te manet
Victorem, mora cui imbellis & otium
Cæcæq; inſidiæ peruigil & dolus
Muniuere viam in terga abeuntium
Et clara Tiberim in luce petentium.
Toto vix ſemel armata triennio

Certatura phalanx æquore constitit:
Molli desidia frangeret vt trucis
Inuictum populi robur & impetum.
Formidabilior Saxone nullus est
Hostis: Sidonij clamat epistola
Vincit viribus, & consilio neque huic
Inconsulta ruens it sine mente vis.
Vltra Albin vetuit ducere copias
Rerum Roma caput te TYBERI ducem
Hac progressa tenus substitit imperij
Florens Cæsareo Marte potentia.
Hanc famam hos titulos seruat ad hunc diem
Victrix natio: quod ni taciturnitas
Virtuti ac meritis inuida Theutonum
Obstaret: nihil hac gente celebrius,
Nil toto foret orbe eximium magis.
Quid non efficiant Saxonicæ manus?
Quîs aut vincere mos egregiè aut mori
Dignum laude quibus nil sine creditur
Gestum, posse geri nil quoque creditur
Quàm late imperij Romulidum sacer
Limes porrigitur. Pharsalicis eques
In campis tuus ô MAGNE cohortibus
Paucis quas fera Germania miserat
Pulsus præcipiti terga dedit fugæ.
Victorem haut latuit res ea IVLIVM
Cum prediceret omninò fore vt simul
Hostem illæ premerent: fracta metu loco
Pompeiana acies cederet & Ducem
Inter prima statim signa relinqueret:

Cum

Cum nequicq; equitum præsidio ferox
Robustum peditem Cæsaris opprimi
Magno diceret haud posse negocio.
Qui florentem Asiam regnaq; Persidos
Indorumq; manu liberæ & Hellados
Parua perdomuit non sine Saxonum
Tantas fregit ALEXANDER opes ope.
Annales perhibent, cui dubitare fas?
Sunt qui nec male eosdem esse putenr SACAS
Qui post Saxones: inuicta domum manus
Emenso rediјt postq; oriente tot
Terrarum loca per vasta & inhospita
Persarum spoliјs diues onustaq;,
Non se regna modò in pristina digerit
Hiberni oceani litoraq; occupat
Cimbrorum patriam: proxima quæq; sed
Rhenum inter sita & Albim prior occupat
Bellante, & male se limite continet
Angusto: haud equidem crediderim rei
Nil DRVSO aut tibi GERMANICE Saxonum
Nil cum gente fuisse: ARMINII placet
Ductoris facinus Romula rumpere
Ausi edicta iugumq; excutere indecens
Libertatis amore. Hic vir hic Albidos
Intacti dominus vix legionibus
Ter quinis potuit, si potuit tamen
Vinci victor enim succubuit dolo.
Dux noster fuerat: credite posteri,
Cui Germania non antè tulit parem.
Quo semper metuit Roma superstite

Vnde Augusta domus contremuit malum:
Quem Cæsar stupuit præproperè timens
Venturum excidio nominis Itali,
Vt muniri aditus iusserit Alpium
Robustas vigilumq; excubijs fores
Firmari, ipsa adeò & mœnia Romuli
Consternata metu: tempore & vsq; ab hoc
Formidata Remi nostra nepotibus
Arma, inuisus honos famaq; gentis est.
Donec Saxonicis fracta cohortibus
Sub rerum potiente ODOACRO ruit
Alto à culmine Roma omnis & Itala
Virtus, robur & omne occidit occidit
Quin & dirus vbi ingentibus ATTILA
Hunnorum atq; Herulorũ ATTILA copijs
Confligens rapido victus Aettio est
In campis stetit acer Catalaunicis
Miles Saxo sed idem quoq; prælijs
LONGOBARDE tuis intererat frequens
Egestam Ausoniæ ferret vt vrbibus
Prædam magnanimos vltus auos domum.
Quid DANIS quoties quid quoties vagis
Concurrêre Henetis? Non legio SCOTVM
Non PICTI manus infesta Britanniæ
Audacis populi sustinuere vim.
Angli Saxones vnde Anglia & Angria
Pictorumue Scotumuè arma represserant,
Cum ducente Deo illata Britanniæ
Regni sceptra noui nomen & Insulæ
Mutarunt: Quid enim quod licuit Gothis.

Quod Francis: liceat Saxonibus minus ?
Romanis malè defensa Britannia
Anglorum imperio subdita Saxonum est:
Vni cuncta Deus non tribuit: tibi
Germane & regere & iura dare exteris
Concessit: populosa hinc sibi Gallia
Regesq; Anglia habent, Italiæq; pars,
Gaudensq; innocuum fundere sanguinem
Hostis Christe tuæ plebis Iber rapax.
Hîc verò hic animum aduertite, bella iam
Cerno Francica, cerno horrida prælia
Debellata quibus non modò Saxonum
Gens elisa sed est dira profanitas.
Iam nunc Fabricij se monumenta, sese
Effert progenies & noua principum:
SIGHARDVS propior pulsat enim fores
Rex Regũq; pater: pulcrum adeò ac decens
Fundamentum operis: scilicet omne ab hoc
Nostrorum velut à fonte genus Ducum
Manat: remigio Musa subi precor
Lasso, & vela tuo flamine dirige.
Percurram gracili pectine, quæ mihi
Iucundè meditanti vaga suppetit
Prudens præteriti lectio temporis
Non indigna relatu, iuuat arduas
Res cognoscere, virtutis & inclitæ
Florem Saxonica demetere in domo!
Illustri serie tot generosaq;
In dias quasi surgentia luminis
Auras nomina Regumq; genus Duces

D Hero-

Heroum & subolem insigniaq; aureæ
Detersa melius nube nitentia
Priscæ barbariei horridulo & situ
Contemplari oculis: Dum tua Fabrici
Docta & bella latent: copia nec datur
Venturum omnium in ora egregiũ tuum
Cognoscendi opus. Eiã aspice vt aëra
Per sudum auricomo lumine purior
Phœbus transeat, almoq; renideat
Fundens terra sinu purpureas rosas
Fragrantemq; comam mollis amaraci.
SIGHARDI pronepos sanguinis incliti
Post exacta redit quinq; fere & tria
Pulcer secla nepotum agmina posteros
Terrarum dominos visere gestiens.
Quas ALBIS tumido subruit alueo
Mordet cæruleis SALA liquoribus
Stringit MVLDA virens lambit ELISTER &
Vndanti fluuio pingue solum rigans
VNSTER diuidit assurgite flumina
Heroi VITIKINDO: Inclitus hic pater
Vestrorumq; ducum progenitor redit
Pura in veste nitens purus & integer.
Nulla hic barbaries horrida perstrepit
Quæ præclara viri facta premat situ
Scriptorum genus vt fecit agrestium
Magni gesta ducis sordibus inquinans.
Quem circumuolitat lecta cohors rubro
Nigrantem in clipeo insigne gerens equũ
Et segmenta cicli ter tria ceu rubij
Ter

Ter iuncta, effigies forte Hecate hęc tua est
Cum falcata rubes conscia flatuum.
Qui belli quoties ingrueret labor
Vexilla igniuomis rubra Draconibus
Vexilla horrificis atra leonibus
Bellator medio fixerat æquore.
His argentea seu lilia carperet
Seu præter solitum triste tuentibus
Terrorem incuteret præpetibus Iouis
Ibat fulminis haut segnior alite.
Non tu Magne negas Carole, non negat
Ingens Francia quæ robur & impetum
Hiuus sæpe viri experta ferocium
Detestata fuit prælia Saxonum.
Nam qualis tumidum cum secat aëra
Eurus pennigero cum Borea ruens
Celsam fraxinū amat sternere & æsculum
Procerasq; solo euertere populos.
Ferri talis in hostem arduus ille equo
Est visus cuneos claustraq; rumpere
Turmarū ære corusca & peditum globos
Arcere oppositis ceu freta molibus.
Quem victrix metuit dextera tangere,
Intermissa simul prælia viseret,
Et tecum validas consereret manus
Vinci Magne dolēs: Quippe ter vndecim
Annos sustinuit teq; tuosq; Rex.
Stipatæ heu quoties tot legionibus
Conflixêre acies terribilem ad modum
Multo sanguine victoria constitit

 Francis

Sed factum bene; victoria Carolo
Quod cessit: quia sic vincere non magis
Ipsi quam domitis profuit hostibus:
Nam ritus abolet sanctior Ethnicos
Lex & Relligio, tuq; Monarcha tu
Mersum fonte sacri fluminis excipis
Aeternoq; tibi fœdere copulas
Gentem magnanimo cum duce liberam.

Plus vincente tulit victus: ouans sibi
Cæsar de spolijs nil retinet, Deo ac
Templis multa vouens cetera reddidit
Et magnum patriæ constituit ducem.

Iamq; ater sonipes candida lilia
Ferrata solitus proterere vngula,
Mansuescitq; nouaq; induitur cute
Lucens Sithonia candidior niue.

Nec tu Guelphe gener Lotharij: nepos
Eiusdemue LEO, nec suboles tua
Quæ regni mediterranea Saxonum
Complexa imperio nunc quoq; possidet
Quicquam de Vitikindi sibi laudibus
Decerpat Bauarûm sanguis honestior
Cui quamuis galeę summus apex equum
Ostentet niueo tergore candidum
Gentis Saxonicæ insigne vetus, tamen
Longè gens alia est: longè aliam sibi
Deposcit grauidis flexibus arborem
Quam stirpi inseruit magnanimûm Ducũ
Quos Ferraria habet quidam Hieronymus
Romana

Romana egregiè ductam ab origine
Estensisq; domus gentis & Acciæ.
Sic passim veterum illustria stemmatum
Excusso redeunt puluere nomina,
Laus splendore nitet vestraq; iam nouo
Germani proceres: O sacer & pius
Scriptorum labor ô maxima dignitas
Argutæ historiæ, non sinit emori
Illustres animas docta loquacitas
Immortale decus concilians bonis
Aeternumq; malis opprobrium: neq;
Si vultus referant oraq; principum
Summorum statuæ totæ Adamantinę
Non longi spacium has temporis exedit
Non ventura dies has senio quatit.
Durant historiæ marmore firmius
Virtutis precium nobile & vnicum
Spirant historijs Hector & Hectoris
Coniunx, Telemachi spirat adhuc pater.
Raptæ Tyndaridos sordet adhuc scelus
Incesti Paridis sordet adhuc amor:
At splendent nitido purius Hespero
Aiacis decus & gloria Achillei.
Eccui non metuendus venit Annibal,
Certè Alpina secat nunc quoq; frigora.
Iam Cannæ trepidant iam mare Siculum
Clasis peruolitant lintea punicæ
Pulcer Scipio iam quassat & Africam
Laudaturq; cati prouida mens Fabij
Nec clarum sua nunc fama Themistoclem

Nec laus deſtituit Pauſaniam ſua.
Quis te Cyre potens Aſtyagis nepos
Quis te Nine ſciat teue Semyramis
Quis te Romulei conditor imperij
Quem partu Ilia ſacro edidit inclitum?
Arſuro niſi vos ſubtraherent rogo
Quæ nullo intereunt tempore litteræ
Quis Carthaginis incendia perfidæ
Quis verſum in cineres noſceret Ilium?
Hæc chartis niſi commiſſa fidelibus
Spirantem effigiem in morte relinqueret.
Sic te belligerûm ô gloria Saxonum
Cui tanquam reduci pompa paratur hæc
Rex læti fruimur Magne ſimul tuas
Virtutes melior ſcriptio prodidit.
Vt fæcunda tibi germinat arbor hæc
Quam fulcis grauidam ſtipite regio
Ramorum vt bifido aſſurgit in ordine
Et late viridi luxurïat coma.
Hinc molli Zephyro brachia porrigit
Euri flatibus hinc tunditur horridis
Arctôum propius verberat hinc latus
Iactatur tepidis leniter hinc notis.
Natorum Vitikindi alter ab Albidos
Ripa digrediens Oceani legit
Oram teq; Viſurgi & populos tuos
Seu CHAVCI fuerint ſeu tibi BRVcteri
Subiectoſq; regit quiq; AMaſin bibunt
Vndantemq; Italo ſanguine LVppiam
Quos inter cecidit QVINtilius tribus
Virtute ARMINii cum legionibus

Inde

Inde Auſtrale latus circuit & iuga
CAttorum ſuperat Tyrigetûmq́ agros
Saltusq́ Hercinios luſtrat & ambitu
Confecto redit ad PARthenopes ſolum
Hæc tellus tibi VIGBERTE tibi BRVNO
Hæc regnata LVDOlphe eſt tibi OTHO tibi
Dux magne, hæc habuit cum tribus AVCVPEM
Regem Cæſaribus patria OTHONIBVS.
At Myſos veteres & LYbonothriæ
Campos Vandalicis gentibus obſitos
Natorum minor, & nomine & indole
Et factis referens egregium patrem,
In ſortem accipit arcemq́ Bethynij
LANSbergumq́ ſtruit munit & Albidos
Ripam LEVcorei conditor oppidi.
Hinc Miſena ſuos Regia principes
Deducit ſerie continua: pater
DITGREMI ille fuit DEDMARE auus tuus
DIETRICHI proauus: DEDO abauus tuus
DEDONI ſuboles nomen aui gerens
Brandenburgiaco ſanguine naſcitur
Poſt hunc magnanimus ſceptra regit THYMO
CONRADO dat habere illaq́ filio
Quem patrem OTHO habuit diuite copia
Cui fluxere metalla, auriferæ in iugis
Et venæ eximias parturiêre opes.
Cui fundata fuit CELLAq́ nobilis
Olim, rudera nunc præter enim nihil
Squalentem & videas vepribus aream
Indigneq́ refoſſos cineres patrum.

DIETRICHVM hic generat nomine Tertium
Quem proles ſequitur digna patre inclitus
HENRICVS nihil hoc magnificentius
Vidit Northuſium, argentea ſtipite
Cum certaminibus fixa in equeſtribus
Arbos diuideret præmia lucidas
Auro picta comas præmia fortibus
Non ſpernenda viris: Dux bone Saxonum
Stirps AVGVSTE tua hæc: Stemmatis hinc tui
Illa antiqua boni linea ſtemmatis
Conſertis veluti texitur annulis
Naſcunturq; abaui, naſcitur & gena
Inſignis FRIDERICVS Tritaui tui
Quem dixere GRAVEM magnanimus parens
ALBERTI ſoboles quorum ego nomina
Cœlo ſcripta ſonoris vtinam lyræ
Dignè aptare modis, dignè vtinam queã.
Sed nec fas mihi nec tu Polyhymnia
Plectri Diua potens non humili vetas
Hæc tam grandia committere barbyto
Quæ ſcribi ingenijs non niſi maximis
Scribi Mæonij non niſi carminis
Poſcunt a lite, quæcunq; tamen manet
Sors audentem, animus fert noua dicere
Rerum & ſumma ſtilo atq; ardua perſequi
Lambendo quaſi faſtigia, more apis
Paſcentis thyma grata vdum & in herbulis
Rorem regna per halantia dum volat.
Tot regum effigies ſuaue mihi & Ducum
Perluſtrare oculis, quas melius bonæ
Fingunt

Fingunt historiæ atque ingeniosius,
Quam ductæ Pario in marmore lineæ
Sollertis ve Scopæ aut Praxitelis manu.
Quas vel longa dies exanimat situ
Deformes, crepitans flamma vel humidus
Auster depopulatur, nihil vspiam
Firmum scilicet & perpetuum. iuuat
Spirantes tamen infante in imagine
Formas attonito lumine cernere,
Et præclara virum facta reuoluere
Grata mente. Bonis Principibus domus
Semper floruit Heroica Saxonum.
Acceptum his referat patria post Deum
Quicquid laudis habet frugis habet bonę.
Qui primi genus agreste hominum & ferox
Hoc cæli rigido climate mollibus
Fregere imperijs: Ac veluti patres
Dilectam subolem faustaque pignora
Recti expertia cultus melioribus
Formarunt studijs (aspera dudum enim
Gens bello fuerat) ne sine mœnibus
Palantes in agris & sine legibus
Insuauem exigerent bruta vt inertia
Vitam, neu pietas puraque sanctitas
Cultusue ingenij atque alma scientia
Et virtutis abesset decus aureum.
Vt ne Idololatræ Vandalus & Scytha
Infesti toties his regionibus
Hunni illi atque Auares implacidum genus
Impunè innòcuos diripèrent lares.

E Nostri

Nostri cum quibus acerrima prælia
Miscere, & patriam difficili iugo
Luctantem eximere & corporibus suis
Propulsare periclum omnibus imminens.
Inuictiq; animis non sine maximo
Strages edere sudore, rubentibus
Fuso sæpe tuis sanguine Sala aquis
Et qui Vindelicos findis agros Lyce.
Dulcem quin etiam sæpe gementibus
Vitam linquere in armis neq; turpius
Quicquam ducere quàm absistere prælio
Perculsum pauida mortis imagine.
Sic extrema pati Regibus omnia
Visum: optata quies dum populis modò
Libertasq; foret nec premeret pias
Gentes seruitio Barbarus insolens.
Præclaris neq; conatibus abfuit
Princeps cura Dei, concidit hostium
Importuna manus, quæq; minati erant
Nostris supplicia indignaq; vincula
Ipsi iniecta tulere, ipsi adeò & lupos
Frenumq; ore recepere, ferocia
Iussi ponere corda, imperium & pati
Mansuetum, pia nec spernere numina.
Hinc vrbes & agros fausta perambulans
Pax effudit opes terraq; præbuit
Largis munera prouentibus annuas
Fruges & cererem & vina metallaq;.
Hinc extructa locis oppida pluribus
Murorumq; minæ altissima turrium

Et fastigia cæpere sub ætheris
Auras conspicuo effulgere vertice.
Impensisq; operum non mediocribus
Templorum fabricę surgere & vndiq;
Diuum crescere cultus, cumularier
Passim sacra: bonę tum quoq; litteræ
Artesq; ingenuæ barbariem rudem
Multare exilio, morum inamœnaq;
Sensim corrigere, omnis speciosior
Vt vitæ ratio existeret & modus.
Legum iamq; minis recta iubentium
Trux cessit feritas cessit atrocium
Vis audax scelerum pressaq; noxia est
Errantum seges & flamma libidinum.
Disciplina bonos vrbibus intulit
Mores lucifluo purior Hespero
Probrosum pietasq; edomuit nefas
Fregitq; ingenuus nequitiam pudor.
Sunt fomenta mali erasa Cupidinis,
Sunt iniecta vagæ frena licentiæ
Prædonumq; auidas continuit manus
Acer propositi supplicij metus.
Enormem rigido cincta satellite
Culpam iusticia vindice sustulit
Culpæ pœna comes quæ malè conscijs
Vultus obijciens Eumenidum truces
Tormentum Siculo vel grauius boue
Velocem assequitur tarda licet reum.
Pergam & quæ potero qua potero fide
Narrabo vt lyricis conueniunt modis

Decantanda bonis cætera vatibus,
Heroo pede præclaraq́ linquimus.
Auguſtos habuit Græcia plurimos
At quàm degeneres: Magnus vbi imperij
Clauum magnificè rexit OTHO pater
OTHO filius & Cæſar OTHO nepos.
Francorum ſuboles martia Cæſarum
Senſim deficiens non ſine numine
HENRICO imperium detulit AVCupi
Hunnorum atq́ Auarum cædibus vuido.
Tunc cæpere bonis auſpicijs boni
Infido Latio ius dare Saxones
Labentemq́ ſtatum nobilis imperij
Stratorum cumulis erigere hoſtium.
Multum Roma tribus debet OTHONIBVS
Plus Germania, plus patria, non tulit
Noſtra horum ſimiles natio non feret
Armis iuſticia, regno, opibus, fide,
Cura Religionis: quid enim his tribus
AVGVSTIS quid habet clarius AVCVPE
Romana hiſtoria ? Adſidera ſuſtulit
HENRICVM pietas & memorabile
CVNGVNDIS decus atq́ aurea caſtitas
Maior credibili: Cæſaribus ſub his
Res Romana diu creuit & agmina
Germano domuit milite barbara.
Diſiecitq́ feri robora Vandali
Danorumq́ graues contudit impetus,
Pacauitq́ leuem ſeditionibus
Turbatam Italiam bellaq́ ciuica
Com.

Compreſſit: Sed enim Roma tumultuans
Dum incaſſum furit & calce ferit minax
Acres heu ſtimulos victa dedit manus
Vtcunq; indocilis frena pati & iugum.
Dirum ergo ſcelus infameq; concipit
Regem fraude mala vt tolleret optimum
Mundi delitias, ſcilicet hæc tibi
Nunc artes Latiũ hęc magna potentia eſt.
Sollers toxica miſcêre Italum genus
Germanoſq; dolo perdere ſimplices
Fortes atq; bonos, quorum aciem tamen
Aſpectumq; oculorum & bene lucidos
Orbes, vultum & honeſtũ, oraq; degener
Haudquam potis eſt ferre ſonantia.
Quos crudi ſimul ad prælia Martis eſt
Ventum, pesq; pedi dextera dexteræ
Sunt iungenda, fuga præpete cautius
Vitant quàm rabidum cerua leunculum
Deſertis Lybiæ in vallibus obuium.
Fallaces ſed enim quid moror Auſones?
Per me illis licet hac arte ſuperbiant
Qua Circe celebres ſagaq; Theſſala
Quondam & ſpreta viro Colchis Iāſoni
Demiſere neci viuida corpora:
Dum noſtros penes eſt, imperiũ & metus
Quamuis inuideant, eſt reuerentia
Maieſtasq;, tremũt quam populi, omnis &
Miratur tacitè & ſuſpicit occidens.
Quin noſtris procul abſcedite finibus
Veſtra nempe opera protinus aruit

Ingens Cæſarea ramus in arbore
Et ſtirps parte ſui deſijt altera
Langueſcens: tacitis interea tamen
Creſcens auctibus & pace prouinciæ
Claro iunior in ſtipite ramulus
Succeſsit veteriſq; æmula gloriæ
Myſorum enituit maſcula principum
Virtus, OTHO potens Marchio Miſniæ
FRIbergi PHYliræq; oppida mœnibus
Sepſit Lypſiados: veſtijt hinc nouo
Se arbor flore nouo germine & exijt
In cœlum titulis aucta, & honoribus
Ramiq; æmula maioris in ardua
Sublimem ſe agit & per loca priſtina
Frondoſo laterum voluitur ambitu:
Non pinguem modò qua diuitis vbere
Glebæ paſcit agrum Tyrigetûm leo
Totus verſicolor ſed gemini quoq;
Qua fulgent gladij (maximus ille honos)
Et ſummo imperio proxima dignitas.
Et qua Ruta breui intexta coronulæ
Tignis inuehitur quinq; nigrantibus
Immortale virens ruta: adeò redijt
Mox ſplendor vetus antiquaq; gloria
Stirps AVGuſta tibi. Nam ſimul abſtulit
Luctantem Adriacis fluctibus atra mors
Cænoſæ Appuliæ in litore principem
Gentis Tyrigetûm, nec reducem ô dolor
Vidit ſancta virum Herois ELIZABETH,
Audet dum pelago credere ſe pius
Viſurus Solymos ſanctaq; rudera;

Myſi

Myſi in regna volant auſpice Cæſare,
Succeditq́ bono illuſtris auunculo
HENRICVS ſubeunt egregij duo
Præſtanteſq́ nepotes FRIDERICVS &
DITZMANNVS peperit quos ſata Cæſare,
Magno fœmina clariſsima MARGARIS,
ALBERTVS genuitq́ haud ita liberis
Aequus, ſed tamen his fortiter ac piè
Deſenſum hoc patriæ eſt imperium recens
Quamuis multa virûm millia cogeret
Fidens Cæſareis fruſtra opibus pater
Et fœdè hanc quaterent Cæſaruterq́ humum,
Fruſtra prædæ inhians, namq́ ope numinis
Vicit cui melior cauſa. Quid inſequens
Quos ætas tulit Heroas inertibus
Inculcem numeris ac bona deteram
Tot culpa ingenij nomina? ſunt toga
Præſtantes FRIDERICI ordine quatuor
A primo memorem cui genitrix notam
Dente impreſſerat, atq́ ijdem vbi res manum
Poſcit, bella gerunt nec lateri timent
Clamoſa aut trepidant Martis in alea.
Hic ſe quanta aperit quam ſpecioſa ſe
Laudum materies? Iamq́ oculos ferit
Armorum noua lux: cernere purpuram
Regalem videor cernere & aureum
Enſem Ruta nouum inſigne nouam domum
Fatis ingreditur: Priſca retexitur
Gentis gloria: Iam culmen ad imperij
Aſpirare licet: Vos patriæ patres
Vos ô lumina clariſsima Saxonum Salue-

Saluete Ensiferi. Tuq; adeo hoc decus
Hunc AVGVSTE locum octauus in ordine
Septemuir retinens spes modo patriæ
Rerumq; vna fides prospere euntium.
Salue AVGVSTE bono cum patre, fortibus
Et cum fratre & auo: Vos ego vos rudi
Iampridem meditor carmine, & horrido
Versu dicere, sint dicta aliis licet
Quæ dicenda forent dictaq; splendide.
ALBERTVM quis enim casside ahenea
Fulgentem & clipeo Heroa adamantino
Digne dixerit, hic puluere Belgico
Rupit vincla tuo CARole Quinte auo.
HENRICI pietas cedere nescii
Aduersantum odiis freta Deo impiis
Quo non digna cani carmine? Tu decus
Dux sancte omne tuis: Tu patriæ pater
Tu Christo reseras templa prouinciæ
Idola eiiciens & Babilonios
Questus, saluificæ lumen & excipis
Doctrinæ foribus mite patentibus,
Quæ cordis sola prędura salubribus
Arentesq; animas irrigat imbribus.
Tu Regum pater illustribus æthera
Qui pulsant meritis absq; quibus foret
Hispani premeret seruitii iugum
Regum colla (nefas) libera Theutonum.
Te virtutis auitæ effigiem canat
MAVRITI vbere cui splendida suppetit
Vis & copia fonte, ingenium & subest
Fœcun-

Fœcundum trepidans pauper ab arida
Vena riuulus hæc pondera non vehit.
Te vero incolumem ô Maxime Romuli
Vindex imperij pacis & arbiter
Armorumq; precor te precor aurea
Seruẽt fata diu AVGVSTE superstitem.
Quis te præside quas dira penatibus
Flammas innocuis vis struit horreat?
Extremum Catilina exitium minans
Dignum Marte tuo supplicium luit.
Pro re pauca loquar nec tacitum feram
Diuino ducibus munere Saxonum
Quod primis reducem agnoscere contigit
Puram Euangelij luminis indolem.
Te Princeps FRIDERICE auspice gesta sunt
Prudenterq; quietas moderante res
Verè ingentia diuinaq; quæ stupet
Mundus quæ refugit Tartarus audiens.
Pars mundi melior vel Mahometicis
Idolomanijs obruta dæmonum
Cultu: vel tenebris mersa Papisticis
Infelix retinet sacra Maôsia.
Felices nimium Saxones in quibus
Lux Euangelij sidere pulchrior
Emergens radijs pura nitentibus
Doctrinæ tenebras dispuiit & tuos
Antichriste dolos vimq; nefariam
Compressit: Stipulas flamma velut leues
Absumit, tua sic depopulans sacra
Legesq; exitio iuraq; ferrea

Vox

Vox inuicta dedit Saxonis vnius
Vox impulsa sacro ferrea Spiritu
Afflixitq; solo tergeminum caput
Deuotum Stygijs sed caput ignibus.
Paulò ante & sapiente omnis ab Hellade
Migrarat sacer huc Pieridum chorus
Phæbo quæ duce felicibus Atticæ
Pulsæ finibus vt primum Italo solo
Fessæ substiterũt, mox & in horridam hanc
Deuenêre plagam: Saxoniciq; agri
Insedere iuga & plana virentium
Ceu Pindi nemorum sacra cacumina.
Festos in quibus & nunc agitant choros
Diuina egregij voce MELANCTHonis
Excitæ & IOACHIMI CAMERARII
Excellentis in omni sapientia
Præstantum veterum. nobile seu placet
Argutæ phylyres gymnasium & vetus:
Seu flaui potiore alite ad Albidos
Ripam structa Lycæa: Hinc etenim sonus
Hinc vox exijt illa æthere defluens
Quæ fraudes Latij præsulis impias
Princeps exagitare ausa fuit, bona
Et constanter aui fulmina temnere
Quæ Lernæa palus plurima torserat.
HVSSI relliquias Martyris hîc olor
Et sanctos cineres rettulit hic tuam
Et lingua & calamo Papa Tyrannidem
Vltus magnanimi spiritus Eliæ est.
VITEberga tui nunc quoq; nominis

Inuisa

Inuisa est Stygijs fama paludibus
Qua riuis saliens pura liquentibus
Primùm Relligio saluificum iubar
Terris, exeruit qua melius nihil
Diui nil dederint maius vt omnia
Vertant secula in aurum & redeat color
Rebus diluuij qui fuit ante aquas.
Hinc omnis domus omnisq; ager, omnia
Diuinis resonant oppida laudibus
Cælestisq; sonat vox sapientiæ
Per vicos plateas templa per & scholas.
Errorum nebulæ schismata & hæreses
Vt furtim alueolis se insinuent pijs,
Lucet dira tamen damna per & neces
Diuino radians lumine veritas.
Nec nos immemores vlla redarguat
Aetas, principibus quod regimur bonis,
Quod dulci fruimur pace quod aurea
Libertate tui muneris omne id est
Rex regum & dominator dominantium
Cui par mane nouo vespere languido
Libemusq; preces votaq; candida,
Magnorum quoties mentio fit ducum.
Qui virtute sua hæc mœnia & hos lares
Protexere suo & sanguine patriam
Hanc nobis peperêre: haud potior quibus
Res priuata fuit publica quam salus:
Ipsiq; in media strage cadentium
Hinc atq; hinc acies sistere territas
Et certare loco dificili & mori

Pulchrum ducere pro ciuibus, ô decus
Pro aris ô pietas, ô nihil optima
In caussa trepidans propositi tenax
Et recti sibi mens conscia fidereque
Vni docta Deo: ô prodiga lucis &
Vitæ pectora, cum præcipitans furor
Belli pallidulis ingrueret focis.
Contempsere alacres dira pericula
Seu lunata Getarum agmina cæderent
Turcarum & cuneos: seu trepidantia
Prima fronte aciêi lilia stringerent.
Non expalluit vt crudus acinace
Districto iugulum Thrax petijt, Ducis
Ille ingens animus Martiaque indoles:
Vidit Gallia cognouit Iberia
Bellantisque animos, Herculeamque vim.
Rhetorum aêreis fixa sub Alpibus
Stant stabuntque tropæa, haud potis vlla enim
Hæc delere vetustas, volucri rota
Ille Europæ etiam terror & Africæ
Aduentante viro Saxone CAROLVS
Sese in tuta recepit, melioribus
Paullisperque dedit consilijs locum,
Fortunæ varias dum sapiens vices
Librat tot populis vnus & imperans.
At delecta cohors suasor & Atrebas
Consternatus anhela rapitur fuga
Tridentina patrum colluuies fugit
Mitem in bella acuens impia Cæsarem
Oblitusque sui miles Iber fugit

Præceps

Præceps per ſcopulos, ſaxa per inuia
Alas MAVRITII vitet vt aſperas
Tactu, qui valida clauſtra refregerat
Pulſo Alpina manu præſidio ferox,
Victorem Italiæ viſus vt Annibal
Impreſsiſſe pedem. Scilicet hic dies
Hæc victoria te reſtituit tibi
O Germania, flatuſq; cohercuit
Inſultare tibi non metuentum
Ceu victæ & domitæ, nec petulantibus
Non probris lacerare immeritæ decus
Gentis. Tum ſua lux reddita patriæ
Captiuiq; duces libera bracchia
Iactare & meriti ad ſidera tollere
Famam Saxo tui. Danubius mihi
Teſtis qua Pataūij moenia præterit
Priſcæ legis honos, aurea iuraq;
Quadam ceu nebula inducta Monarchiæ
Effulſere nouo lumine ad hunc diem
Durante Enſiferi munere Principis.
Functos militia rite pia Duces
Expers inuidiæ poſteritas canet
Illuſtrem & merita laude vehet domum
Qua non Saxonici ſtemmatis altera
Priſca nobilior regnat origine.
Nec deêrunt, quibus & vena beatior
Mens diuinior & iuditium acrius,
Heroô pede Mauortia facta qui
Et pugnas referent, acta pedeſtribus
Condentuè hiſtorijs: Non ea vis mihi

Non altum canere aut posse loqui dedit
Mi phæbus, teneri sed neq; sustinet
Grandem materiam carminis indoles,
Multis illa quidem digna Maronibus
Poscit non humili pectine radier.
Iam iam vela licet Pieri contrahas
Lusisti satis haud plura necesse erit
His attexere, nec tu rate debili
Tam vastum subiges sat pelagus scio.
In pratis veluti mollibus ambulans
Nunc has nunc alias carpit Agenoris
Plantas compositis sertaq; floribus
Concinnat, cumulo sic mihi maximo
Rerum proposito demeto quæ libet,
Dum cantu residem solicito chelyn,
AVGustam venerabundus ad arborem
Raris conspicuam dotibus arborem
Sublimi ferientem astra cacumine.
Vnde Europa sibi cuncta propaginem
Decerpsit, neq; enim stirps generosior
Arctoi lateris sidera suspicit
Et celso gelidum vertice cardinem
Pulsat. Quippe sub hac non alia Deus
Lucem Euangelij protulit additam
Euertitq; LVTHERI ore Prophetico
Regni idola tui Maxime pontifex.
Quis te Magne Luthere ô venerabile
Lumen Saxoniæ iussit in impios
Ardentem calamum stringere præsules
Et Caci Herculea rumpere vi specum.

Eliæ

Eliæ vigor atq; aura potentior
Ictu fulmineo cœliflua hinc viri
Virtus hinc animi cedere nescij
Robur freta Deo hinc mentis alacritas.
Quæ vero latebræ quod nemus hoc caput
Ramorum viridante occuluit coma
Vrgerent pia certamina cum virum
Instarentq; odijs vndiq; plurimi?
Hac ipsa fruticans germen ab arbore
Flaui propter aquas Albidos hîc vbi
Insignes pietate aurea ramulos
Et PAX & BONITAS nutrijt & FIDES.
Salue fronde noua iussa virescere
Arbor nobilium patria fontium,
Qui puros latices, dulcem alimoniam
Mœsto sufficiunt Christiadum gregi.
Te siue aspera hiems lædat & horrifer
Destringat Boreas, seu canis impotens
Ardor flammiuomis torreat ignibus
Illustri melior flore repullulas.
Te subter volucrum dulce canentium
Nidi florigerarum alueoliq; apum
Densantur liquida voce Deum ac Dei
Laudantes opera & murmure consono.
Felix planta tuis Attica flosculis
Et mella insideant Castaliusq; ros
Te uox pieridum te cytharæ sonus
Phœbeæ charitum te celebret lepos.
Rerum Christe salus Optime Maxime
Qui florenti Asia exclusus & Africa

Venisti ad latus informe Aquilonis huc
Pulsans prægelidas Iâpeti domos.
Quod pulchrè Armenijs stans pater in iugis
Cum seris caneret fata nepotibus
Vidit Nohâ loquens, Iâpeto benè
Sit, fratrisq; tabernacla SEMI colat.
Conserua quod adest lumen & hæreses
Agro euelle tuo: tolle precor, precor
Pestes, & mala contagia dogmatum
Quæ serpunt tacitè dantq; animas neci.
Arcebisq; lupos quicquid & impiæ
Fraudis Dux tenebrârum organa per sua
Molitur Sathanas qui Tyberinaq;
Seruant purpurei mœnia Satrapæ,
Insignis triplici quos diademate
Rex pascit tuus ô Pluto vicarius
Funestæ quatiens sceptra Tyrannidis.
Quæ procudit anhelans anathemata
Patrum colluuies cum duce perfido,
Coniurata tuas perdere plantulas
Florentemq; sacro palmite vineam
In ventos abeant: tuq; ab ouilibus
Pastor quæso tuis hanc abigas luem
Constructosq; tibi protege nidulos
A Moscho, Geta, Ibero, Ausone, Tartaro,
Ne balantum ouium vellera lancinent
Prædabunda luporum agmina floribus
Immissi velut austri velut hortulis
Apri: neue canum infida silentia
Admittant stabulis Autolicos truces.

Nam

Nam quæ te ſine ſpes quæ ratio fugæ eſt
Delirantis in hoc turbine ſeculi
Irarum Sathanas dum furit ignibus
Confecta & ſenio regna labant ſuo.
Dum fluxa titubant inſtabiles fide
Mentes fluctiuago in marmore ceu leues
Cimbæ: Nil adeo te ſine poſſumus
Abs te tota fluit noſtra ſcientia
Vis omnis fidei, tu ſapere & loqui
Quæ ſunt grata tibi das homini & dabis.
Nos afflante tuo numine credimus
Incendente tua luce caleſcimus
Tu frigus, glaciem & plus q̃ adamantina
Fingens corda tibi tu facis obſequi.
Quare ſolicita te prece poſcimus
Incrementa fidei, fons operum fides
Fons & cauſſa bonorũ, abſq; fide quid eſt
Cur ſperet tibi ſe poſſe placere homo.
Sola ſtante fide vincimus omnia
At peruerſa ſibi ſtultaq; Hypocriſis
Orci filia quæ ſtagna Erebi colit
Fædo ſulphure fæda pice olentia,
Perſuadet meritis (ô temeraria)
Seſe poſſe ſuis cælicolûm domos
Aſtrorumq; globos ſcandere. Laus tibi
O Chriſte iſta ſemel quod fuit agnita
Profligataq; fraus tu modo iniquior
Ne noſtris vitijs ocius auferas
Hanc lucem: vt pereant cetera, ſalua ſit
Nobis relligio, tuq; tibi inter hos

Bellorum ſtrepitus pulſaq; claſsica
Cœtum Saxonicis collige in vrbibus
Qui myſteria tractet tua puriter
Illibata propagetq; fidelibus
Creſcens vſq; miniſtris tua dogmata
Vt ſiue exilium ſeu maneat pios
Carcer, floreat Eccleſia floreant
Illuſtresq; ſcholæ & doctæ Academiæ
Concordi vnanimes fœdere vinciat
Pax reges populoſq; aurea dante te
Durent ſecula tu Saxonicæ domus
Augebiſq; decuſq; imperium & genus.
Vt cum ſalua domus ſit ſua cuiq; tum
Sint ſalui ſuperentq; incolumes diu
Illuſtriſsima gens Saxonici duces
Cuſtodeſq; piæ relligionis &
Legum, iuſtitię arbitria diuidant.
Tuq; AVGVSTE parens optime patriæ
Quem dignum imperio dignum opulētia
Hac tanta veneror: ſoſpite quo neq;
Occulto gradiens fœdere apoſtaſis
Fraudi Eccleſiæ erit, vera nec exulans
Migrabit laribus relligio pijs:
Tu cum cum progenie purpura quam manet
Cum conſorte thori ſanguine regio
Cimbrorum vt valeas atq; diu imperes
Multa in ſecla propageſq; genus tuum,
Faxit mundi opifex trinus & vnicus
Vota & noſtra bonos ducat ad exitus.

FINIS.

SICHARDVS Rex Saxo. contra DAGOBERTVM FRANC. regem bella gessit. Dagober. regnare cœpit. A.Chr. DC.XXXII.

|

DIETRICHVS Rex Sax. quem Carol. Martel. auus Caroli. Mag. oppugnauit.

|

VERNEKYNDVS Dux Angriuarior. & Iburgi.

|


VITIKYNDVS Magnus Rex Saxo. aduersus Carol. Mag. bellum gessit per annos amplius triginta, ab eo tandem creatus Dux. Saxo. Angriuariæ & Vvestphaliæ.

|

VIGBERTVS Dux Sax & Angriu. conditor stirpis Ottonum Duc. Sax. Imperat.

VITIKYNDVS iunior Princeps Soraborum intra Salam & Albim. oppid. Viteb. & Vetinij conditor, à quo March. Misniæ: & qui nunc rerum potiuntur Duc. Saxo.

VIGBERTI POSTERITAS.



VITIKINDI IVNIORIS POSTERITAS.

Vitikindus in Galliam missus à Car. Caluo. Imp. & Andibus præfectus.

Rupertus Dux. And.

Otto Rex. Franc. salutatus.

Dietgremus Princeps Soraborũ co. Vetinij, Burgg. in zorb.

Fridericus à quo primi Marchiones Misniæ vsq; ad Timonem ex altera linea.

Rupertus capto Carol. Simp. regnum Gal. affectat.

Hugo Mag. Parisi. co. VX. Adelheid. Henr. Auc. F.

Hugo Capetus Rex Gall. conditor regiæ stirpis quæ nunc rerum potitur.

Dietmarus.

Dietrichus.

Dedo.

Diettrich.

THIMO March. Misniæ Lansb. Vetinij. Bren. Ileburg.

Conradus pius Mar. Misn. & Lus. com. Rochl. & ILenb.

Otto Diues M. Mis. & Lus. Dom. Libonoth.

DITRICH. Mar. Misnen. & Lus. com. in Vvissenfeld. — ALBERTVS.

|

Henricus munificus vel illustris Landgra. Thur. Mar. Mis. & Ostrolan. Palat. Sax.

|

Albertus L. Th. M. Mis. — Dietrichus sapiens. Dietzmannus.

|

Fridericus fortis L. Thu. M. Mis. Pal. Sax.

|

Frideric. Grauis designatus Rex Roman. L. Thu. M. Mis. com. Orlamundæ.

|

Frideric. strenuus L. Thur. M. Mis. Pal. Sax. & Do. Franc. mont. — Vilhel. L. Thu. — Ludou. Epis. Magde.

|

Frideric. Bellicosus Dux Sax. Elec. &c. — Vilhelm. Diues.

|

Frideric. II. placidus Dux Sax. Elec. &c. — Vilhelmus — Sigismundus Epis. Vvirtzb.

Ernestus Dux. Sax. Elec. — Albertus Dux Sax.

Ernestus Dux. Sax. Elec.: Frider. III. sapiens. Sax. Elec. Rom. Imper. Electus. — Ioannes Dux. Sax. Elec.

Ioannes Dux. Sax. Elec.
|
Ioan Fried. Dux Sax. Elec.

Albertus Dux Sax.
|
Henricus Dux. Sax.
|
Mauricius Dux. Sax. Elec. — AVGVstus Dux Sax. Ele.